



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii**

**Afhakker, Aegidius**

**Vrsellis, 1618**

Capvt. IX. Quid Causae Sit Cvr Mvlti hunc iam probatum controuersiarum  
iudicem non recipiant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

QVID CAUSAE SIT CUR MULTI  
hunc iam probatum controuerfarum iudi-  
cem non recipiant.

**M**iraberis fortasse Lector cum Roma-  
ni Pontificis authoritas ita sit clarè in  
scriptura fundata, ita etiam Ecclesie  
necessaria, & rationi rectæ nequitiam con-  
traria; cur tam multi per Germaniam, Belgi-  
um, Angliam, & alibi, etiam viri natura pro-  
bi & conscientiae suæ non negligentes possint  
reperiri, qui authoritatem istam vt in Ponti-  
fice agnoscant, adduci se nullo modo patiun-  
tur. Quamuis verò ego dubitationi huic  
*supra cap. primo* satisfactum aliquantulum esse  
crediderim. Hic tamen paulò prescius rei isti-  
us simulque tumultuum, bellorum & motuum  
intestinarum, quæ cum magno Christiani-  
tatis damno iam inde à Lutheri inchoata  
deformatione vsque in hodiernum diem, in  
tota pene Europa, facta sunt atque etiamnum  
fiunt, causam paucis explicare, non videtur  
ab instituto nostro alienum. Causam dico  
non remotam seu meritoriam (illam enim  
fatemur facile, fuisse peccata enormia tum  
communitè populi, tum præsertim inconti-  
nentium & luxuriantium multis in locis Ec-  
clesiasticorum & religiosorum) sed causam  
proximam & effectricem. Hanc ergo dico  
fuisse atque etiamnum esse Lutheri, Caluini,  
corum



eorumque præcipuorum sociorum & successorum insanam rabiem, & mentiendi crassissima mendacia, effrenem audaciam, conceptam contra eum à quo sciebant se sententia ineuitabili & in cælo valida hæresios & Apostasiæ condemnatos esse, hoc est, contra Romanum Pontificem. Ab hoc enim cum damnati essent, in tota Christianitate sciebant nullum sibi vspiam in quo secure suas libidines exercerent, locum superesse, nisi per calumniosa mendacia quasdam ouilis Christi oues in vicarij pastoris odium concitarent, atque ita ab istis ouiculis per fraudem miserè seductis tanquam veri reformatores & Evangelici viri protectionem & tutelam impetrarent. Hanc assertionem esse verissimam facile iudicabit quisquis historias de actis & gestis horum reformatorum diligenter perlegerit, non eas dico tantum quas nostræ religioni Catholicæ studiosi (inter quos tamen sunt omni exceptione maiores & oculati eorum quæ scripsere testes, qui que reformatoribus istis fideles ad tempus discipuli adhæserant & ob eorum impietatem ad viam redierant) sed etiam eas, quas Catholicæ Ecclesiæ aduersarij cum affectata nimium laudatione in Patrum suorum gratiam sunt commenti. Quantò enim laudant commendantque eorum sanctitatem impensius, tantò ex proprijs illorum quos celebrant etiamnum loquēti-

tis



bus scriptorum monumentis falsitatis conuincuntur facilius. Patet enim ex scriptis Lutheri in primis & Caluini, improbos eos fuisse homines & propriæ conscientiæ curam penitus abiēcisse. Patet inquam hoc ex his duobus argumētis. 1. ex palpabilibus & veritatis nullam speciem habentibus mendacijs, quæ contra Pontificem Romanum, totamque Ecclesiam Catholicam audacissimè sunt commenti. 2. ex putidis & scurrilibus, loquēdi modis quibus passim, præsertim Lutherus, in Pontificem, postquam ab eo excommunicatus fuit, & in Romanam Ecclesiam est inuectus. De mendacijs Lutheri crassissimis vel hoc vnum satis quod diximus arguit, quod scilicet *edit. Iben- si* (quam supra c. 2. citauimus) *Tom. 5. fol. 132.* dicit in Pontificis & omnium Pontificiorum libris nihil prorsus inueniri de Euangelio. Item *Tom. 8. fol. 235.* Pontificem nec intelligere nec scire quid sit peccatum aut vllum Christianæ doctrinæ membrum. Denique quod *Tom. 4. fol. 13.* ait Doctrinam de castitate esse doctrinam Diaboli. Cùm tamen & naturalis ratio & expressum diuini veritatis testimonium *1. Cor. 7.* castitatem bonam & Deo gratam doceat. De scurrilibus & homine etiam, ne dicam tanto Reformatore indignis phrasibus omnia passim eius opera testantur. Sic *Tom. 2. fol. 39.* In corde, inquit, Pontificis suprema residet Diaboli potestas & meros



meros excludit iuniores Diabulos. Tom. 1. fol. 424. Pontificem vocat latronem maximum. Tom. 2. fol. 58. totius mundi Archinebulonem & magnum Dei inimicum. Similia & sæuiora passim exhalat in Ecclesiam Romanam. De stercoreis quoque & carnalibus imo impijs & in Deum Sanctosq; blasphemis eius sermonib. videri compendiose potest libellus quidam idiomate Germanico Monasterij in VVestphalia ante aliquot annos editus per M. Conradum Andree, Jacobi Andree professoris olim Tubingensis & Vbiquistarū principis germanū fratrem. Libelli titulus est: *Innocens, humilis, verax, Christianus &c. Lutherus.* ex quo quilibet facile dispiciat in tali vase Spir. S. habitare non potuisse. De Caluino res non est multò obscurior. Lib. 4. institut. cap. sept. §. 27. hoc modo mentitur. *Quasi vero dubium sit qualem religionis speciem professi sint iā pridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcana illius Theologia qua inter eos regnat, caput est, nullum esse Deum. Alterum, quacunque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse & imposturas. Tertium, Doctrinam de vita futura, & vltima resurrectione, meras esse fabulas.* Hæc ille reformatorum nostræ patriæ Pater & Pontifex. Qui mox timēs (vt videtur) tā horrédū mēdaciū scriptis suis inferere, nec aliquo saltē pallio paululū velare sub-



subiungit paucos quidem esse inter illos qui  
 ita loquantur, plures tamen qui ita sentiunt.  
 Sed iterum, ne nimium iustus hac limitatio-  
 ne fuisse videretur, subiungit: *Iam pridem has  
 ordinariae esse cepit Pontificum religio.* Hic iudi-  
 cet æquus lector quid de tali homine statu-  
 endum, qui tanta dicit, tam inaudita opinio-  
 num monstra de viris tantis, quorum tamen  
 ne verbum quidem vnum aut literam pro-  
 fert, quibus calumniæ suæ vel minimam ve-  
 ritatis speciem prætexat. Verùm ne fortalle  
 quis me de mendacijs & calumnijs conque-  
 rentem, eadē quæ arguo, committere & Cal-  
 uino infanti iniuriam irrogare suspicetur, en-  
 cuius præsto, legem talionis recipio. Libro  
 vtor excuso Geneuæ anno millesimo, quin-  
 gentesimo quinquagesimo nono in Officina  
 Roberti Stephani in folio. Ex hoc quæ retuli  
 ad verbum me descripsisse depono. Plura ha-  
 bet idem Calvinus non multo leuiores in suis  
 operibus mendacia; quæ nunc omitto, existi-  
 mans vnum hoc instar esse omnium. De mo-  
 destia eius, quam fuerit nulla, passim ijdem  
 scriptorum eius testes legentibus manifesta  
 præ cæteris verò clarius Antidotum ipsius  
 Concilium Tridentinum, vbi non semel Co-  
 cilij Patres & Doctores (quorum certe ipse ne  
 vmbra quidem vel sanctitatis vel doctrine  
 vspiam ostendit ( vocat *stupidos, quis-  
 quilias, asinos, porcos, pecudes, crassos boues,  
 otiosos*



otiosos ventres, mendicabula, putrida cadauera,  
 silicernia, blaterones, Patres cornutos, Tridentinam  
 colluuiem, exitialia monstra, spurios, degeneres, me-  
 retricis filios, Christi hostes, Antichristi legatos, &c.  
 Hęc plerique filiorum eius prædicantium per-  
 belle à Patre suo didicere, qui vsque hodie,  
 indocti frequenter & nihili homines, probè  
 se officio suo functos existimant, vbi pro  
 concione Romanum Pontificem Antichristū,  
 & Regem Hispaniæ Tyrannum impotenti &  
 fœmineo furore vocitauerint. Homines ni-  
 mirum de quibus congrue iam olim Iudas  
 prædixit Apostolus, qui carnem quidem macu-  
 lant, dominationem autem spernunt, maiestatem  
 autem blasphemant. Qui quacunque quidem igno-  
 rant blasphemant, quacunque autem naturaliter  
 tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpū-  
 tur. Væ illis quia in via Cain abierunt, & errore Ba-  
 laam mercede effusi sunt, & in contradictione Co-  
 re perierunt.

Hi ergo sunt omnium quæ in populo exo-  
 riuntur seditionum motuum *Ministri*, pestes  
 regnorum & prouinciarum, qui sub verbi  
 diuini prædicationis titulo ab vsu sacrilego,  
 mendacia, calumnias, blasphemias in eos quos  
 iniquo ipsi odio oderunt, verbis & scriptis ef-  
 futiunt. Fieri autem qui potest, vt hoc modo  
 deceptus populus in veri pastoris odium non  
 incitetur? Et certe si prudenter quis per-  
 pendat; quibus hoc genus hominum  
 quam

quam



quant, inquam, futilibus & nullius ponderis argumentis subnixum tanta, cum nullum vident antagonistam, audendi sumunt animos; flagellandæ res insanix videbitur. Argumenta proferunt communiter ex Bellarmino aut alijs Ecclesiæ nostræ scriptoribus, ea populo obtrudunt, solidissimas interim adiectas pro veritate responsiones falsarij supprimunt; libellos, picturas, rhytmos, quæ ipsi frequenter ob imperitiam facere non possunt, fieri per alios studiose satagunt, vt is à quo sibi malum imminere sat sciunt, specie quam odiosissima populo repræsentetur.

Quod ad Antichristum attinet, non censui ego calumniam hanc dignam quæ inter præcipuas Catholicorum cum sectarijs cōtrouersias superiori capite recenseretur. Cùm res adeo sit clara vt ij etiam ex aduersarijs, quorum non est extremum in Romanum Pontificem odium, hoc est, qui vel parum rationi in hac re cedendum iudicant, expressis libris fateantur, non posse cum veritate Pontificem nominari singularem illum, quem Scripturæ prædicat nobis, Antichristum. Ad quod vincendum vel vnum hoc argumentum est validum, & apud illos qui aliquem rationi locum relinquunt, omnino controuersie terminatiuū: videlicet: Antichristus negabit Iesum esse Christum, nec quenquam deorum curabit, sed se ipsum dicet ex professo Melchiam



stam in lege promissum: Sed hæc Pontifex Romanus nunquam fecit; Ergo non est Antichristus. Maior est clarissima in Scripturis I. Ioan. 2. Ioan. 5. 43. & Daniel. II. Et Deum patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget. Minor est tam clara vt potius, iuxta aduersariorum calumnias Pontifex dici possit omnes Deos, id est, Sanctos curare, quam ex omnibus neminem. Quid potest esse clarius? Et tamen genuini Lutheri & Caluini spirituales filij, contra apertissima scripturæ verba glossas excogitant ridiculas & stultas, & contentiosissimè mox clamitant: *Verbum Domini, Verbum Domini*, Quis ferat? Eodem imbuti spiritu Pharisei & Scribæ Christum Dominum Beelzebub vocarunt: eademque *ratione vltima* id probauerunt. Ob eandem causam Pharisei, Scribæ & Legisperitæ, quia nimirum à Domino damnationis suæ sententiam iam præaccipiebant, *capere grauitè insistere & os eius opprimere de multis insidiantes ei & quærentes aliquid capere de ore eius*, Luc. II. 53. & 54.

Plura sunt argumenta non minus clara pro Pontifice, quam fuit illud quo Christus dæmonium se non habere Iudæis demonstrauit: quia nimirum honorificabat Patrem suum & regnum diaboli destruere conabatur. Quibus ad finem properans, pro nunc abstineo. Prudentibus (vt credo) satisfactum & volentibus

Ff

capere.



capere. Maleuolis quis satis faciet, cum nec  
 se Christus Dominus hoc fecerit? Vnius tam  
 hic pro boni publici vtilitate cogor memini-  
 se, *Ioannis Auentroot*, qui anno 1615. Amstel-  
 redami idiomate belgico libellum edidit  
 cuius ipse (vt audio) manibus in populum dis-  
 traxit; in quo verbis & picturis quid in peccato  
 re gerat Christianæ tū veracitatis tum moder-  
 stia, perspicuè satis depinxit. Procerum ad  
 lectorem præmittit in quo magnam sibi cum  
 Rege Hispaniarum per literas familiaritatem  
 annis aliquot intercessisse sic cautus nequam  
 simulat, vt populo placerent quas quasi mag-  
 nus reipublicæ moderator fecisset fabulas. In  
 tractatu totus est blasphemus in Romanum  
 Pontificem; Antichristum videlicet eum esse  
 luce meridiana clarius se demonstrasse in  
 gloriatur, ipsumque diem digito omnino  
 monstrasse quo Antichristi regnum incepit  
 quo item finitum fuerit. Initium dicit con-  
 gisse anno Domini trecentesimo decimo  
 tertio cum Pontificatu Syluestri, quòd is tunc  
 factus sit primus absolutus Pontifex; finem ve-  
 rò ann. millesimo, quingentesimo quinquagesimo  
 quinto sub Paulo I V. quod isto anno ab-  
 soluti pontifices esse desierint, facta scilicet in  
 Imperio libertate prædicationis Evangelicæ  
 Hoc ait esse tempus mensium 42. & dierum  
 1260. sumpto scilicet anno pro quo  
 die; detractisque ab annis istis vt pote



daicis, id est, lunaribus, annis 18. remanere  
 annos solares 1242. quod est tempus ab anno  
 313. vsque ad annum 1555. incluso tamen v-  
 troque anno extremo. Hoc est fundamentum  
 singulare totius libelli eius, ob quod à multis  
 fuit auida curiositate in pretio habitus. Sed  
 non vidit hic argutulus, totam hanc speciosā  
 calumniarum machinam in arena, hoc est, fū-  
 damento falso fundatam esse. Non enim S.  
 Syluester Anno Domini 313. Sed 314. iplis *vide. Bb.*  
 Calend. Februarij Pontificatum adeptus est. *res.*  
 Deinde, quod hominis huius vel ignorātiā  
 crassā vel extremā simplices fallendi libi-  
 dinem arguit; ante annum 324. S. Syluester  
 non meliori conditione aut commoditate est  
 vsus, quam ceteri pontifices eius prædecesso-  
 res. Eo enim anno è latebris montis Soractis  
 productus Constantino primum innotuit; a-  
 deoque vsque ad illud tempus non magis ille  
 quam vllus prædecessorum Pontificum abso-  
 lutum pontificatum gessisse fingi potest. Quo-  
 nam ergo modo absolutus pontificatus  
 anno. 313. potuit inchoari? Respondeat quæ-  
 so Auentroot. Tacet ad hæc credo. Et ta-  
 men ipse ita confidenter triumphat, vt  
 ipsissima cælitus reuelata diuini verbi  
 mysteria populo se proponere gloriatur.  
 Ego quidem inspecto primū hoc libello,  
 mirabar plurimū auth. ris ( tunc mihi  
 nondum cogniti ) in maledicendo prom-  
 ptam



ptam dexteritatem cum ignorantia, tamen  
 Cruda coniuncta. Verum vbi deinceps in ce-  
 tera, quæ plura scripsit etiam contra sectato-  
 res sententiæ Arminij, Ioannem Vtenbogat  
 & alios, incidi; atque tum ex illis tum certa re-  
 latione verum hominis nomen, quod est *Vin-*  
*centius à Drielenburch* eiusque attributa mihi  
 innotuerunt, præsertim lectâ sententiâ per  
 quam ab Ordinibus Ultraiectinæ provincie  
 Anno 1613. Nouembris die 25. ciuitate & pro-  
 uincia pulsus & proscriptus est, occurrit mihi  
 illud prouerbiorum 27. 22. *Si contuderis stultum*  
*in pila quasi ptisanas feriente de super pilo, non au-*  
*feretur ab eo stultitia eius.* Dicit proscriptionis  
 sententia hominem hunc in quibusdam ( quæ  
 sua esse sit confessus ) scriptis *magno timore*  
*maledicè & iniuriose inuectum esse* in Magistra-  
 tum istius provincie & Ecclesiastis eiusdem  
 &c. & ideo tanquam rebellem & seditiosum,  
 mitigato ob causas iustitiæ rigore, proscrip-  
 tum esse. Ille nihilo segnius vsque in hodie-  
 num diem Amstelredami commorans libellis  
 varijs latæ sententiæ authores audacissimè  
 perstringit, exilium suum ob fidei confes-  
 sionem prædicat, ad constantiam Cõtra-Re-  
 strantes omnes hortatur fortiter; in Remon-  
 strantes æque vt in Pontificem Romanum  
 Antichristi nominis numerum 666. excogi-  
 tat: nihil non facit quo ingeniosus stultus &  
 belgicorum poetarum, spurius dignosci po-  
 tuit

Vide I.  
 parte.



test. Iamdudum varijs suis libellis in detestationem Romani Pontificis barbarum suum inseruit; P A T E R R A D E O. Vbi collecto, ex alphabeto Græco, numero 666. suo modo sugillat illum quem Catholici venerantur tanquam sanctissimum Patrem à Deo sibi datū prout parte prima, Anno 1608. annotauimus. Porro quia geminum illud R. à suarum etiam partiū prudētioribus sugillari atq; adeò totū inuentum stultam potius phantasiā, quam propheticā illustrationem æstimari vidit, nouam quandam eadem authoritate Grammaticæ adiecit regulam, qua liquidarum vna, vbi Vincentio ita libuerit, liquecat in duas. Quantumuis cæteri Grammatici vno ore doceant, liquidas ita dictas esse, quod post mutā positæ liquecentes vim consonantium interdum amittant; Tantum scilicet abest, vt duplicis vim consonantis habere possint.

Interim admissa hac Vincentiana regula, aliud in hoc inuento latens mysterium miror hunc prophetam præterisse: Quod nimirum eadem opera parentem ipse suum Antichristi nomine decorarit, nisi fors ei is non à Deo sed à Diabolo datus sit, hoc est, nisi ipse non ex legitimo matrimonio à Deo instituto, sed ex fornicatione aut adulterio natus sit. Certe non parum energiæ Διαβολου, id est, calumniatorem in eum influxisse ex fructibus operū eius liquido comprobatur. Deinde imperite



admodum latinis literis Græcas numerandi  
 formulas applicauit: Cum enim Pater orige  
 sit vox Græca & à Græcis per π non autem  
 per ρ scribatur, pro hoc charectere non quin  
 que (vt fecit) sed octo notare debuerat. Simi  
 liter in voce ablatiui casus (Deo) cum, o, sit in  
 poësi (si illā didicerit) longū; nō iuxta Græ  
 corum omicron, septuaginta, sed iuxta, ω, o  
 ctoginta numerare oportuit: atque ita in vna  
 litera multò habuisset amplius quàm omni  
 bus simul quærebat. De liqueſcentia autem li  
 teræ, R, quod fingit, non tam facile, vt opinor,  
 apud Latinos aut Græcos poetas exemplum  
 inueniet, quàm de litera, N, apud Germanos.  
 Quare multo expeditius ipſummet ſuum

1. V quod ſpōte aſſumpſit nomen in hanc calum  
 200 V niandi palæſtram potuiſſet introducere. Qui  
 5. E enim poſſet falſitatis ipſum, aut ſaltem male  
 40. N dicentiæ inſimulare, ſi ipſe clericus Germanus  
 40. N aut Belga, ſeruato ordine literarum belgicus  
 100. T belgicum nomen A VENTROOT, 666  
 80. R in ſe concludere adeoque nomen eſſe verum  
 50. O mi & propriè per antonomafiam ſic dicitur  
 50. O tichriſti conſtantiffimè aſſeueraret.  
 100. T Non plus rationis præ ſe fert nomen belgic  
 666. cum Roomſch-paep. cuius iti tem prima par  
 te meminimus. Cum enim S. Ioannes Apo  
 lypſin ſuam, vbi de nomine Antichriſti  
 git, græcè ſcripſerit; & Romanus pontifex no  
 in Belgio, ſed in Italia ſedem ſnam habet  
 ridicu



ridiculum omnino est, quòd hic homo S. Iohannem velit ad linguam Belgicam nec in Italia vſitatam in Antichristi nomine respexiſſe. Ineptum quoque est, quod pro (ch.) 20. numerauerit; qui numerus per Græcorum K. designatur: Cum tamen iſdem Græci noſtrū (ch.) non per (κ) ſed per (χ) quod in numeris valet 600. exprimant.

Sed tædet hiſce huius peruerſi nebulonis nugis diutius immorari. Hoc ſecum quilibet lector prudenter examinet qualis ab hoc propheta exſpectanda eſſet reformatio, ſi cū authoritate & occasione Lutheri aut Caluini ad populum Eccleſiaſtæ officio ei fungi liceret. Habet tamen hic patronos ſuos & antiſtites viros inter Contra-Remonſtrantes etiam doctrinæ opinionè celebres. Quid ergo mirum Lutherum cum ſuis totū terrarum orbē turbis impleuiſſe? Hæc in tui, qui æqui es iudicij, Lector, cautelam dicta oportuit, vt ſcias etiã nunc inter eos te verſari, de quibus ſuos monuit diſcipulos Dominus Luc. 12. 1. *Attendite vobis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Hypocriſis, inquam, non tam morum quam doctrinæ. Iam enim ita ab iſtis Reformatoribus antiqua, ſi qua fuit, in moribus, hyprocriſis reformata eſt, vt pietatis ſpeciem ipſi maximè frequenter velint, magno tamen conatu induere vix poſſint. Quoad doctrinam verò cū reuera ſint ſulti & cæci Mat. 23. v. 17. ſacræ tamē



Scripturæ textus, versus & capita ita bellè norunt pro deformatione sua promouenda allegare, ita confidenter fidei negotia iuxta rationes suas *ultimas* terminare, quasi & ipso Christo Domino cum Apostolis, magistro essent vsi, & quæ pro infallibilitate Rom. Pontificis nos supra protulimus argumenta ipsorum singulis fauere possint.

Verùm hic iterum monendus es, non me omnia quæ hoc aut alijs capitibus acrius in Reformatores dixi, de omnibus ministris aut prædicantibus absque vlllo discrimine dicte velle. Scio enim esse inter eos qui partim infirmitatem illius, quo reformata doctrina nititur, fundamenti, agnoscentes; partim nondum ita instructi vt argumenta quædam ad speciem nobis aduersantia dissoluere valeant, probare quidem doctrinam nostram in conscientia sua non possunt, non tamen tantis, quibus cæteri communiter nos proscindunt, conuitiis & calumniis dignos censent. Inter quos sunt præsertim qui honestis nati parentibus, honestis studijs cum sedula diligentia enutriti desideria carnis non magni faciunt. Tales enim esse quosdam inter illos negare nec possum, nec volo, vt qui in humanioribus quorundam literis honesta cum illis æmulatione, & familiari ac grata secundum naturam conuersatione, id ita se habere didici. De quibus etiam hoc possum confidere, facile suos errores esse



esse agnituros, si vbi nimium creduli suorum doctorum authoritati, de nostræ fidei fundamentis malè sunt instituti, clarior ipsis instructio contingeret. In quorum gratiam vt libellum hunc inchoaui, ita sequenti capite nunc concludam.

## CAPVT X.

ARGVMENTO FACILI SED VALIDISSIMO tractatus concluditur.

Quamquam ego quidem existimo hactenus à nobis doctrinæ Catholicæ veritatem, in ijs præsertim articulis quibus aduersarii sustinent religionis Christianæ fundamentum in Ecclesia nostra esse prorsus euersum, ita vt ex necessitate discedere ab eadem fuerint coacti, hoc est, *de bonorum operum meritis, de potestate Romani Pontificis, de Sacramento Eucharistia & Missa sacrificio*; ita clarè & euidenter esse è scriptura deductam, (vt nemo etiam inter illos qui nondum credunt Ecclesiam totam in scripturarū explicatione errare non posse) absque contumacia dissentire à nobis queat. Quoniam tamen scio, multum apud aduersarios valere præiudicium, quod iam à teneris contra conclusiones nostras imbiberunt; ideo mitigato non nihil illationis rigore, vnum hic adiiciam finale argumentum, quo spero aspirante diuina gratia, omnes qui conscientia suæ curam gerunt, ad veritatis agnitionem

Ff §

onem